

Darstellung der neuesten deutschen Philosophie, der eigentlichen Scholastik u. A. Werthvoll zu nennen sind die Untersuchungen, welche sich auf die Fortdauer der scholastischen Studien auch während und nach der Reformation beziehen. In diesen Partien ist auch die Darstellung in der That klar, gründlich und überzeugend. Die Uebersichten sind meist trefflich gearbeitet, und zum wiederholenden Studium ganz besonders geeignet, wie zum eigentlichen und gründlichen Verständniß des inneren Entwicklungsganges und Zusammenhanges unentbehrlich.

Raigern.

P. J. V.

**Cursus Scripturae Sacrae auctoribus R. Cornely,**

J. Knabenbauer, F. de Kummelauer aliisque Soc. Jesu presbyteris. Parisiis. Sumptibus P. Lethielleux. 1886.

Genuinam Librorum Sacrorum intelligentiam permagni momenti esse nemo ignorat. Enimvero, ut verbis S. Gregorii M. utar, »quid sunt Scripturae, nisi epistula omnipotentis Dei ad creaturam suam.« Quapropter S. Ecclesia catholica nunquam non studium Scripturarum Ss. quam maxime promovere studuit et si in Concilio Tridentino et posthac Ss. Librorum lectionem certis limitibus circumscripsit, nihil aliud in mente fuit, quam ut adulterina et dogmati catholico contraria intelligentia praescinderetur. Ex illis dogmata sua hausit hauritque Ecclesia, ex illis dogmatum rationem et intelligentiam earumque inter se nexum et relationem theologus hauriat necesse est. Theologiae studium deficit, ubi deficit studium Scripturarum. Sunt enim Ss. Libri, etsi non unicus, tamen praecipuus fons revelationis Catholicae, ex quo proinde argumenta promamus oportet, ut contra haereticorum commenta parati simus ad reddendam rationem de ea, quae in nobis est, spe. Sed sunt permulti, qui non jam hanc vel illam Catholicae religionis doctrinam impugnant, sed religionem ipsam. Qui proinde nihil antiquius habent, quam ut fontem illum revelationis perscrutentur, ut eas vel sibi ipsis contradicere, vel sanae rationi contraire affirmant. Contra hos praecipue genuinum studium scripturisticum requiritur.

Jamvero tempora nostra Catholicis libris, qui ad Scripturam illustrandam, explicandam, defendendam valent, non adeo abundant; alii jam pridem editi moderno scientiarum harum progressui jam non respondent, alii linguis modernis confecti ultra fines patriae non longe innotuerunt. Quapropter nonnulli illius Societatis, cujus praecipuum fuit, Catholicam fidem contra novatores sec. 16. defendere, presbyteri collata opera ad monumentale opus illud lingua latina edendum aggressi sunt, cujus titulus: Cursus Scripturae Sacrae. Erit, uti diximus opus monumentale. encyclopaedia

scripturistica, et ex toto corde adprecamur, quod adprecatur Gohier in recensione illa gallica, ut Deus benedicat operi incepto et Catholici conferant auxilium benigne illud excipiendo. Cursus ille, qui ad Ss. Libros explicandos et vindicandos utilem praebet materiam scientiae hujus temporis conditioni accomodatam, duabus partibus constabit. Quarum prima complectetur Introductionem sensu latiori i. e. omnes illas scientias, quarum ope exegesis ipsa utitur, ut finem suum adipiscatur. Erit igitur agendum de linguis Sacris, quibus conscripti sunt Libri Ss., de antiquitatibus, historia S. et geographia et praesertim de Introductionem sensu strictiori; altera exhibebit ipsos commentarios in Libros Ss. tum Veteris tum Novi Foederis. Bina sigulis annis prodibunt volumina, quorum unumquodque separatim venumibit; in edendis ipsis nullus certus ordo servabitur.

Jam duo volumina prelum subierunt:

Historica et critica Introductio in utriusque Testamenti Libros Sacros auctore Rudolpho Cornely S. J. Pars I. Introductio generalis sive de U. T. Canonis, Textus, Interpretationis historia. In 8<sup>o</sup> majori. Pg. 742, additis tribus tabulis. Prostat? Et:

Commentarius in Librum Job auctore Joseph Knabenbauer S. J. 8<sup>o</sup> maj. Pg. III. et 472. Prostat?

Quod ad primum, quod Introductionem generalem in Libros Ss. utriusque testamenti exhibet, confectum est ex praelectionibus, quas habuit clarus auctor in Collegio B. M. V. ad lacum et Romae in universitate Gregoriana additis quaestionibus nonnullis, quae in scholis ob temporis penuriam vel obiter tantum perstringuntur vel penitus omittuntur. Est haec Introductio historica et critica, complectitur ergo illas scientias, quas in collegiis nostris Introductionem (generalem) et Hermeneuticam vocamus. Ubique uberrimos fontes citatos invenies nec ulla fors erit quaestio etsi parvi momenti, quam autor non attigerit. Mavult, ut ipse dicit, muneris suscepti partes excedere quam non implere. Qui fontes non ad marginem vel ad calcem appositi sunt, sed textui ipsi certis intervallis inseruntur, quod quidem operi haud vitio erit, quum quae sint majoris momenti quaeque annotationes ex diversitate typi perfacile cognosci possit. Diligentissime autor, quod maximae ejus laudi tribuatur, catholicorum interpretum memoriam renovare studuit. »Quid sit causae,« ait »cur ita egerim aperte profitebor. A quo tempore enim ante plus triginta annos literarum sacrarum studio juvenis vacare atque commentarios antiquos et modernos pervolvere coepi, non potui non dolere, quum a medio fere saeculo praecedente non ita paucos interpretes catholicos acatholicorum vestigia terere, praeclaros autem antiquitatis catholicae commentatores tantum non ignorare viderem. Qui tristis rerum status Deo juvante hodie quidem in laetiores mutatus est; plerique

enim interpretes nostri, licet ab acatholicis illa, quae in philologicis maxime et in historicis recte statuerunt, suo jure desumant, in theologica tamen interpretatione majores nostros catholicos sequi malunt. Nescio vero an multa egregia, quae ex adversariorum operibus desumuntur, non majore cum securitate et certitudine ex Patrum antiquorumque Interpretum commentariis hauriantur. « Ad illustrandum textum additae sunt tres tabulae, quarum prima exhibet specimina scripturarum semiticarum, secundo specimina codicum graecorum et hebraicorum, tertia latinorum.

Dispersitur totum opus in tres dissertationes, quibus praemittuntur prolegomena de Introductionis necessitate et historia de fine, divisione et methodo. Prima dein dissertatio agit de Historia Canonis utriusque Testamenti. Cui additur caput de libris deperditis et apocryphis; apocryphorum enim ratio accuratius est determinanda contra impugnatores Ss. Litterarum, quum etiam a Patribus saepius allegentur. Altera dissertatio exhibet historiam et auctoritatem textuum primigeniorum et antiquarum versionum. Sermo fit de fati textus hebraici, de characteribus, de additione punctorum diacriticorum. Praeprimis autor summa cum diligentia aggreditur ad defendendum textum massorethicum, circa quem hanc statuit thesin: Textus massorethicus Iudaeorum malitia non est corruptus nec ea caret puritate, qua authenticus revelationis fons statuitur. Valde nobis placet dissertatio de versione latina Vulgata. Omnes quaestiones, quae moventur circa hanc versionem disputantur, Concilii Tridentini decreti sensus explicatur, quo Vulgata versio fons fide dignus revelationis statuitur. Tertia demum dissertatio agit tum de regulis interpretandi, tum de historia interpretationis inde a scholis thalmudisticis usque ad modernas.

Ubique laudabis auctoris eruditionem, apparatus multitudinem; principia lucida proponuntur et lucide defenduntur, objectiones fuse refelluntur.

Commentariorum, ut ex commentario in librum Job videre licet, haec est ratio, ut argumento proposito singuli sacri textus versus continuis explicationibus elucidentur adhibitis consultisque optimis tum antiquorum Ss. Patrum tum veterum recentiorumque Interpretum scriptis. Typi apte discernuntur, quorum minoribus ea exprimuntur, quae ad aliorum sententias recensendas et dijudicandas necessaria vel utilia videntur. In Introductione vero, uti in modernis libris jam moris est, ad finem indicem materiarum discussarum appositum desideramus, quibus dein studium hujus praeclari operis non parum augebitur et usus facilius reddetur.

Raigern.

S.